



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117964**

§. 56. Robertus Abbas Augiæ divitis depositus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI.  
A.C. 1072.

§. LVI.

Robertus Abbas Augiæ divitis de-  
positus.*Id. an. 1071.* Ceterum Hugo Abbas Cluniacensis, Im-  
184. peratricis in hac profectioe comes,

Roberto Abbati Augiæ divitis Pontificis  
epistolas reddidit, quibus deponebatur &  
excommunicabatur. Nam Robertus olim  
Abbas Bambergæ, cum adhuc privatus  
esset monachus, usuris aliisque sordidis  
acquirendi modis vim pecuniæ immen-  
sam cumulaverat; unde ipsum contu-  
bernales sui Argentarium appellare sole-  
bant. Is Abbatum Episcoporumve mor-  
tem impatientissime expectans, cum sua  
opinionem nullus satis cito moreretur,  
centum libras auri daturum se Regi pro-  
misit (ut nihil dicamus de donis, quæ  
Regiis clientibus occulte largiebatur) si  
ejecto Abbate Widerado Abbatiam Ful-  
densem sibi conferret. Verum quidam  
viri pietate & auctoritate conspicui Re-  
gem objurgando effecerunt, ut manife-  
stum contra Justitiam facinus exequi pu-  
deret. Nemo illa ætate magis hoc Ab-  
bate Roberto monachorum famam ho-  
noremque prostituit; is enim sua im-  
probitate occasio fuit nefandi illius ab-  
usus, quo publice in Regia Abbatia va-  
cantes plus pecuniæ daturo offereban-  
tur.

tur. Nec tam magnum pretium sta-  
tui poterat, quo non majus se daturum  
aliquis monachorum polliceretur.

Sæculum XI.

A.C.1072.

Cum igitur Abbatia Augiensis anno  
millesimo septuagesimo primo vacasset,  
Robertus, mille libris purissimi argenti  
in ærarium Regis illatis, eam obtinuit.  
Sed ecce! possessionem adituro Mona-  
sterii Augiensis Advocatus denuncia-  
ri jubet, si ulterius progredi auderet, se  
ditiones Monasterii intranti cum valido  
armatorum agmine præsto futurum. Ro-  
bertus inops consilii & jacturam pecu-  
niæ Dignitatisque dolens, nam interim  
Abbatia Bambergensis alteri obtigerat,  
fortunam armorum experiri, & Simonia  
crimen cædibus ac sanguine tueri con-  
stituit. Sociis vero perspicue demon-  
strantibus, quod viribus majora tenta-  
ret, pudorem non ferens ad prædia  
fratris sui divertit, rei eventum explo-  
raturus. Interim Romæ accusatur, ter-  
que citatur, ut veniret, causam in Con-  
cilio dicturus, cumque contumax non  
pareret, Papa sententiam damnationis  
in eum pronunciat, quam Hugo Abbas  
detulit. Vi hujus Sententiæ Robertus  
excommunicabatur, eidem omni Officio  
Divino, excepta sola Psalmodia, inter-  
dicebatur, ab Augiensi Abbatia, omni-  
que alia Dignitate Ecclesiastica in per-  
petuum

p. 189.

**Sæculum XI.** petuum excluderetur. Ergo miser Ba-  
**A.C. 1072.** culum pastoralem Regi reddere, qua re  
 nihil acerbius ei obvenire poterat, com-  
 pulsus est.

Sigefridus Archiepiscopus Moguntinus profectioe suscepta in Festo Nativitatis Domine Nostræ anno millesimo septuagesimo secundo, tanquam ad S. Jacobum in Gallæcia peregrinaturus, Cluniaci substitit, ubi dimissis omnibus viæ comitibus, & relictis Bonis suis professionem Monasticam amplecti & reliquum vitæ tempus ibi exigere statuit. Sed defuit constantia, nam Clericorum & populi Moguntini precibus flecti se passus ad Festum S. Andreae eodem anno ad Ecclesiam suam rediit.

§. LVII.

*S. Anno Coloniensis discedit.*

**H**enricus Rex Festum Natalis Domini Bambergæ celebravit, ubi Anno Archiepiscopus Coloniensis, cum aulam ulterius ferre non posset, in qua Justitiæ leges proculcabantur, Regem rogavit, ut sibi onus regendi Rempublicam detraheret, ætate ad ultimam senectutem vergente. Facile talia petenti annuit Rex, qui jam diu intelligebat, quantum Præsul vitiis suis & juvenili morum  
 dissi-